

tum potest, Infit. de adop. §. minorem. Sed nemo potest naturaliter seipsum generare, & sibi naturaliter naturalem dare, ut notum est, ergo nec spiritualem: per generationem enim nascimur, & per baptismum renascimur, id est iterum nascimur, de consecr. dist. 2. c. quia passus, circa fin. & dist. 4. c. ad hoc. Nemo enim orti debet à semetipso. 24. q. 1. c. didicimus. Tum etiam, quia inter dantem, & accipientem debet esse distinctio personalis, persona enim dans debet esse alia à persona accipiente. d. c. debitum, concor. c. fin. de inlit. cap. per nostras, de iure patron.

Hinc Abbas, vel Episcopus qui uellet 17 sibi ipsi † conferre beneficium, quod est in sua potestate, non potest, casus est formalis in cap. fin. de inlit. Item patronus quispiam, vel clericus, vel laicus, qui uult præsentare seipsum ad beneficium, quod est in sua potestate præsentandi, non potest, cap. per nostras, de iure patron. licet possit suum filium, de hoc est glos. not. & perpetuo memoria comendanda, in c. quia clerici, de iure patron. licet pater, & filius censeantur esse una eademque persona, l. fin. C. de impub. & alius sublit. Inde est, quòd punito corpore filii præsentate patre, pater magis quam filius periclitatur, Infit. de noxal. act. §. final. cum simi.

18 Quarta. Qui uiuus fortè in extremis constitutus petit se baptizari, non potest post mortem baptizari, quamuis possit ab excommunicatione absolui. Et ratio diuersitatis est: quia baptismus imprimat characterem animæ, quæ post mortem est separata à corpore, quæ habuit baptismum flaminis, c. debitum, extr. de baptis. sed in absolutione ab excommunicatione nullus character animæ infigitur, ita Innoc. in cap. à nobis, de sent. excom.

19 Quinta. Quamuis † puer totaliter non nascatur, tamen baptizari potest, si illa pars, quæ apparet extra, esset caput: quia tunc debet aspergi aqua, dicendo: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. & est uerè baptizatus: & ratio est: quia caput est principalior pars

corporis, & in eo vigent omnes sensus ipsius corporis, totaq; uirtus in ipso capite uiget, & per capitis imaginem cognoscimur. Inde est, quòd locus, in quo caput humanum sepelitur, religiosus efficitur, l. cum in diuersis, ff. de relig. & sumpt. fun. Et hoc tenet Ioan. And. & Innocen. in cap. debitum, de baptis. Quare non est amplius rebaptizandus, sed tantum supplendum, quod de sacramentalibus exigitur. Turrecrem. in cap. qui in maternis, nume. 5. de consecr. dist. 4. uide Henric. in c. maiori, de bapt. Si autem illa pars quæ apparet est alia, quam caput, ut manus, vel pes, tunc dicunt aliqui Doc. q. illa pars debet aspergi aqua, & baptizari, & tunc est uerè baptizatus, quare si nascatur, non est amplius baptizandus. Et ratio est: quia baptismus fit propter animam, & non propter corpus, anima autem quantum ad suam essentiam est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, & ideo una parte corporis baptizata, totum est baptizatum. Et si nascatur postea, debet baptizari sub ista forma. Si tu es baptizatus, ego non baptizo te, sed si tu non es baptizatus, Ego baptizo te in nomine Patris, & ceter. Et istud ultimum tanquam tutius est tenendum. An uerò sufficiat, si tantum una gutta aquæ cadat super eo, qui baptizatur. uide glos. in uerbo, trium, in c. præcipue, de consecr. dist. 4. quæ dicit, quòd sic. Tutius tamen est secundum Innoc. in d. cap. debitum, quòd aqua fundatur super maiorem partem corporis.

20 Sexta. † Paruulus existens in utero, non est susceptibilis sacramenti baptismi, c. si ad matris, cum duobus seqq. de consecr. dist. 4. Nec etiam debet extrahi è matre adhuc uiuente, sed agonizante, uel moriente: quia non sunt facienda mala, ut inde ueniant bona, l. q. 1. capit. non est putanda. Si tamen mortua sit, debet apertiri, donec puer ex ea extrahatur, si colligatur illi uiuere: qui ut possit uiuere, talis cautela datur ab obstetricibus. scilicet,